

DE EVENTIEVS.

Et tempore huius occursus non infeliciter tormenta bellica tractabit, & quidquid arte quadam per ignem & metallorum fusiones ut in Alchimisticis tentabit pro rei natura, nihil aduersae fortunae experietur.

Directio Lunae ad trinum Solis, conciliat natum nobilissimis mulieribus, cum eis suauiter & summa cum hilaritate ac solatio conuersetur. Similiter magnates quoque benevolentia & officijs eo tempore natum prosequentur.

Directio Solis ac corpus Veneris 26. 17 efficit ut occasione nobilium mulierum, uel ornamentorum, aut aliarum præciosarum rerum de Veneris dominio, a principibus natus honoretur, ad dignitatem aliquam euehatur, aut rem faciat. Item decernit lætas ac honorificas nuptias nato, etiam patri fœlicem statum.

Directio Medi coeli ad trinum Lunae, haec directio adhuc in uigore est, per popularem fauorem, aut nobilium mulierum gratia, nato honores & dignitates tribuit. Item decernit aliquod publicum officium, & munera, & nonnunquam coniugem.

Directio partis fortunae adhuc sub Mercurio, lucrum & secundam fortunam promittit nato in mercatibus, computationibus, tractatione artium facientium ad finam, & in peregrinationibus.

Iupiter diuisor siue dispositor uitæ huius temporis quamvis debilis sit in radice & reuolutione, est tamen fortis in mundo in hac reuolutione in trino Solis, qui nam dominari in aliqua dignitate, uel opere significat, dat augmentum diuitiarum, prosperitatem, dignitatem, & gloriam, loquetur & conuersabitur cum regibus, & adipiscetur dignitatem, lætabitur cum parentibus suis, & consanguineis. Sed omnia ista praestabit cum tarditate, eò quod est retrogradus.

Profectio ascendentis est ad 26 gradum Sagittarij in quarta domo radicis significat per integrum hanc reuolutionem, lucrum sperandum, & præcium operæ, accessio hereditatis, benignitas & fauor parentum, quique illorum loco sint. Tum thesauros obrutos terra scrutabimus, & argenti fodinas excutiemus, archana & abstrusa uestigabimus, possessiones frumentaque comparabimus, aut uendemus, extruemus ædifica, piscinarum lucra queremus, testamenta condemus, de sepultura mandabimus. Hoc autem tempore, sentiemus animi tristitiam, & mortis metum, contrarium tunc fuerit in aquis uersari, in ardua concendere, militares lusus armorum exercere, glaciem transire, coram regibus, & principibus apparere, itinera longa facere. Dies huius profectionis sunt, Die 19 Aprilis ad Δ Veneris dextrum. Die 20 Augusti ad corpus Saturni. Die 15 Septembris ad quadratum Solis dextrum. Die 11 Decembris ad quadratum Mercurij dextrum. Die 15 decembris ad sextilem Lunæ sinistrum. Die 3. Februarij ad trinum Iouis sinistrum.

Profectio Lunæ est ad 18.8 Aquarij in quinta domo radicis, in qua perdurabit usque ad 26 Junij. Delectationi nato eo tempore erit puerilis ætas, uoluptatem etiam capiet de mulierum consuetudine, & ex sodalitijs, sed pericula impudent mendaciorum, & proditionis. Tum opera danda liberis, amicitiae, coniuicijs, colloquijs, & confabulationibus, ac circulis. Aptum est hoc etiam tempus pacificationibus, contractibus, cōficiendis literis, mittendis nuncijs, nauigationibus, mercatibus, uestibus nouis cum incidendis, tum induendis. Inque summa genij obsequio, est enim letifici, & fœlix &c. A 26 Junij in reliquum uevolutionis, est haec profectio in sexta domo radicis, tunc uariorum morborum timenda sunt pericula, odia & inimicitiae excitantur quæ tempore longo durent, & ut semel dicam, nihil fortunabitur rerum omnium. Tunc cautæ erga famulos, & seruientes mercede se gerat natus, iter non facies mus, non incidentur neque induentur noua uestimenta. Tempus hoc mercatibus aduersum, omnibusque contractibus, & negocijs, conuentibus, consilijs, deliberationibus &c. Dies huius profectionis sunt, Die 22 Martij ad quadratum Lunæ sinistrum, Die 27 Martij ad partem Celati, Die 30 Mai ad Ζ in quinta radicis, Die 18 Iulij ad sextilem